



**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput XVII. Quòd meritò implorare debent B. Meinulphum pro pio  
Intercessore apud Dominum Deum, qui in ejus Monasterio debiles sunt &  
infirmi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

infirmum in aquâ reperit declinâsse , quapropter gravi mærore compulsa clamorem validum fecit , accurrit Prior , accurunt Fratres , & dum ad eum , qui infirmus erat , perventum fuit , Prior & Fratres nullum indicium vitæ in eo considerantes mortuum judicabant , & ideo Dominum DEUM Sanctumque MEINULPHUM pro ipso humiliter implorantes , is qui ab omnibus mortuus putabatur , in gaudium magnum vivus est receptus .

## C A P U T X V I I .

*Quòd merito implorare debent B. Meinulphum pro pio Intercessore apud Dominum DEUM , qui in ejus Monasterio debiles sunt & infirmi .*

**L**Icet prædictorum Regularium sancta Regula Medicorum consultum admittat , tamen quia tam multi saniratum effectus per merita B. MEINULPHI non solum circa suos verùm etiam apud extraneos per Christi gratiam peracti sunt , & in hodiernam diem fiunt , prout in præsenti opusculo sèpiùs factum invenitur , ideo hi , qui se de gremio suo fatentur esse , videlicet Fratres suum inhabitantes Monasterium in omnibus suis infirmitatibus cum magna fiducia singulare refugium ad B. MEINULPHUM merito habere deberent , quatenus ipse verum Medicum JESUM Christum , qui non emplastro nec pulsûs tactu , sed solo verbo universa restaurat , pro ægris , ut salvi fiant , dignetur implorare . Nec dubium quin suum locum inhabitantes ille pius Dominus celerius quàm extraneos ipso pio intercessore pro eis implorante exaudiaret , dummodo fiducia infirmorum in precando non defuerit . Quòd si fortè auxilium non sentiretur , timendum esset , quòd confidentia in precando magna ex parte deficeret , nec hi qui ejusmodi forent , dicere possent cum Propheta : fiducialiter agam , propter hanc enim culpam , ut opinor , intraneus derelinquitur & non sanatur , extraneus vero fiduciâ plenus suscipit medicinam & sanatur . Nonne Raab fiduciam habens salvata cum suâ totâ domo fuit , & peculiaris DEI populus ob minorem fiduciam derelictus ?

E

C A -